

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ, 25

DE

ELOCUTIONE

ORATORIS SACRI,

PARTIS POSTERIORIS SECTIO TERTIA,

QUAM,

CONSENSU AMPLISS. SENAT. PHILOS. IN ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro

in quarta classe Equite, & Societ. Oecon. Imp. Fenn.

atque Reg. Wermel. & Societ. Patriot. Holm.

Membro,

PROGRADU

*Publice ventilandam sistit*

GUSTAVUS JOHANNES INGELIUS,

V. D. M. & ad Schol. Cath. Ab. Apologista,

Satacunda-Fenno.

In Auditorio Mathemat. die XXX Maji MDCCCX,

Horis a. m. solitis.

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO  
MAXIME REVERENDO ATQUE CELEBERRIMO,  
S.S. THEOLOGIÆ AD ACADEMIAM AURAIICAM  
PROFESSORI SECUNDO,

EJUSDEM  
IMP. ACADEMIÆ H. A. RECTORI MAGNIFICO,  
NEC NON  
ORD. IMP. ROSS. DE S. WOLODIMIRO  
IN QUARTA CLASSE EQUITI,

*D: no Mag. GUSTAVO GADOLIN,*

*PATRONO atque EUERGETÆ ÆTATEM VENERANDO,*

*Cui & studiorum morumque juveniliū moderationem, &  
sacri docendi ordinandique cœtus qualemcunque prudentiam,  
& innumera præterea proluxa benevolentia documenta accepta ve-  
nerabundus refert, gratias, quas referre nequit, agere saltem  
cupiens, pagellas hæc sacras esse voluit*

NOMINIS MAXIME REVERENDI ATQUE CELEBERRIMI

*Cultor Humillimus*  
GUST. JOH. INGELIUS,



*Nihil est tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocumque ducas, quam oratio.*

CICERO.

§. VII.

**A**d docendum & ad adjuvandum perspiciendi facilitatem; itemque ad delectandum, nec nihil omnino ad movendum conferunt 5:0 *Compositio, Structura & Numerus*: quorum igitur, & in primis lucidæ Collocationis, haud incuriosum esse decet Sacrum Oratorem (a). De toto hocce artificio, in quo tamen pleraque sunt magnificentius quam docentur (b), nimis quidem multi & operose subtiles fuerunt jam Veterum, in primis Romanorum, Rhetores: qui licet recte monerent, cavendam ante omnia esse, in hoc etiam negotio, affectationis suspicionem, amittique ab eo & fidem & affectus motusque omnes qui sit in hujus rei, sollicite potius celanda & dissimulanda,

D

cura

---

a) Disl. Cl. MOLANDER p. 25.

b) CICERO, Orat. c. 43. n. 147.

*cura deprehensus (c)*, præceptis tamen & divisionibus fere infinitis parvæque admodum, si ullius, utilitatis, hanc doctrinam oneraverunt. Sunt etiam horum multa præcis, syllabarum quantitatem accuratius constituentibus & Inversionum majori gaudentibus libertate, quam nostræ linguæ, aptiora; nonnulla in singulis fere alia; quædam subtilius quam verius tradita; haud pauca anxie nimis dinumerata; & reliquorum plurimum aurium mentisque judicio, quod si limatum, celere, acre & bonis legendis exemplis firmatum fuerit, in re universa plurimum valet (d), tutissime permittenda. Magis offendit nimia & compedes rebus injiciens diligentia, quam simplex & incompta rusticitas; & quam facile a recto distrahatur animus ipsis regulis nimis intentus, exemplum docet FABII, in illis ipsis verbis (e), quibus hiatum notat, vastissimos admittentis hiatus. Sunt tamen nonnulla etiam hoc loco monenda, non ideo ut, præceptorum instar, in scribendo menti jugiter observentur, sed partim ut acuatur aurium sensus, nonnunquam in concionante quam in audientibus hebetior, partim ut ad justum verborum ordinem & pendens inde perspicuitatis atque efficacitæ leges attendere discant rudiores, partim ut de concinnitatis pretio neque superbe nimis nec cupide judicetur. Cavendum igitur est Sacro magis etiam quam Profano Oratori

1:0 *ab ordine aut verborum aut propositionum secundariorum s. intercurrentium incommodo & perturbato. Ad illum quod*

e) QUINTILIANUS L. IX. c. 4 §. 143, 147. Cfr. CICERO libr. cit. c. 44 s. 149 sq.

d) QUINTILIANUS l. c. §. 116, 118, 120. Cfr. CICERO, Partit. Orator, c. 6. l. 18.

e) Quæ easdem, cavo aut, l. c. l. 33. sq.

quod attinet, non est jam hujus loci de ordine verborum gram-  
matico, ad Puritatis (f) & peculiaris cuique linguæ Syntaxe-  
os regulas conformando, disquirere; sed observari potius con-  
venit, in illis quoque linguis, quæ transponendorum vocabu-  
lorum libertate parcius utuntur, pro alio atque alio, quem  
unum idemque vocabulum occupaverit, loco, aliam aliamque  
emergere, si minus sententiam, attamen sententiæ vim & em-  
phasiam, & alio atque alio præcipue dirigi attentionem, in  
viva quidem voce pronuntiatæ conveniente sono atque accen-  
tu simul adjunctam. Multum omnino refert, utrum dicas: *Pa-  
ter ignovit mihi*, an: *Ignovit mihi pater*, an demum: *Mihi  
ignovit pater*; & quamvis, ex naturali rerum ordine, genera-  
tum ante cogitetur subiectum quam prædicatum, est tamen, si  
in hujus idea enuntiationis versatur caput, hoc ipsum prædi-  
catum, aut quod ei respondeat adverbium, subiecto præponen-  
dum, ut ante reliqua & fortius sentiatur. Sic, qui de pater-  
na Dei bonitate & misericordia dixerit, aptius ita transibit:  
*At justissimus quoque est Deus*, quam si eadem verba hoc ordi-  
ne necet: *At Deus est quoque justissimus*; & qui *manget Duplex*  
Divinam, hominumque in respiciendi negotio tarditatem po-  
tenter & vivide ob oculos ponere vult, rectius dicet: *Långe  
har han tillbakåållit straffet, långe men förgåfves kastat  
dig till båttring*, quam: *Han har långe och förgåfves &c.  
innumera alia hujusmodi exempla ut taceam (g)*. Nemo eti-  
am non videt, in *Incrementi* & *Gradationis* figuris turpissi-  
mum fore vitium, si ordo, quantumvis cetera liber, sed jam

D 2

f) Disf. Cl. MOLANDER p. 5. sqq.

g) Conferri ad totam hancce rem merentur, quæ copiose docet SCHNE-  
IERUS in præceptis filii bene Latini, P. Pr. capp. 3 & 4. Cfr. &  
CICER. Orat. c. 70. l. 232 sq.

per scalas quasi definitus, migretur, existatque sic ridiculus ille, nec POPRO solum sed sano cuius homini inuisus Anticlimax.

*Propositionem* quamlibet compositam in principalem unam & unam pluresve secundarias resolvi, nemini est obscurum. Harum vero alias subordinatas, incidentes alias vocavit CL. CONDILLAC (h). Subordinatas eas appellat, quæ ad principalem universam explanandam & accurate constituendam referuntur; Incidentes eas, quæ non toti sententiæ, sed uni cuidam verbo modificando intervniunt. Jam vero per se patet harum, vocabulo, a quo pendent quam proxime nectendarum, fixam fere & immotam esse sedem; liberius locari illas &, pro re nata, alias præponi, alias postponi. Mutabilis igitur harum at nequaquam arbitrarius ordo ad perspicuitatis potissimum leges est definiendus, aut, hac modo salva, ad majorem vel levitatis vel gravitatis vim dirigendus. In hac autem re feliciter versabitur nemo, nisi qui & sanum ad scribendum attulerit iudicium, & rem dicendam distincte atque ordine cogitaverit, & rapidiori forte eloquii vi aut verius verborum se mutuo trudentium volubilitati sapienter moderari didicerit, & argumenta ita dirigere noverit, ut tacito quodam potius sed vivido & certo sensu, quam molesto & operoso singula minutatim excutiendi labore, locum quæque fortiantur convenientissimum. Qui autem male adeo est natus, aut ei foecordiae advenit, ut res confundere & implicare quam extricare & rite disponere malit, is non solum in universa oratione sæpius eadem, sed sine consilio & virtute repetet, quæ ingratissima omnium est tautologia, verum in singulis quoque sententiis turbabit omnia, proba-

---

h) Cours d'étude, T. I. Grammaire, lière Partie, ch. 20.

probationum vim franget, incertus huc illuc fluctuabit, divellet haud distrahenda, discordantia conjunget, & in breviori etiam enuntiatione vitiosæ Trajectionis, Synchyses, Hyperbati reus judicabitur. Quæ omnia quam sint & intelligentiæ & memoriæ & delectationi & movendi consilio inimica, quis est qui non videat? Artificialem sane Logicam male didicit aut, quod pejus est, naturalis illius plane est expertus, quicumque idonei vel in minimis orationis particulis ordinis aut non perspicit aut non curat virtutem (i).

Sed quoniam de propositionibus secundariis sermo jam est, aptissimus videtur locus de periodici quoque artificii ratione & usu monita quædam, in superioribus (h) etiam promissa, adjiciendi. Constat autem *Periodus*, præter propositionem principalem, subordinatis, & sæpe etiam incidentibus, harumque, aliis ad sensum explendum necessariis, aliis non quidem mere otiosis aut supervacaneis, sed sine quibus integer haberi possit sensus (l): ad quod quidem ultimum genus pertinent etiam eæ, quas, quia non propriam sibi sed uni pluribusve aliis communem sequuntur ad alterutrum periodi extremum relationem, & in eodem quasi stadio procurrununt, *parallelas* in sequentibus appellabimus. Omnes vero & primi & secundæ ordinis propositiones ita sunt nexæ, ut tota illa periodica enuntiatio, præter finem sensus grammatici perfecti, ab ipsa re absoluta & verbis ad intelligendum sufficientibus exposita pen-

g) Disf. videlicet Cl. UTTER Priorem p. 5 sq. Cfr. etiam exempla, quæ habet Cel. ÖDMANN, *Anweisung till ett Christligt Predikoföfett* p. m. 103 & 107.

h) Disf. Cl. MOLANDER p. 25.

i) CONDILLIAC l. c. § m. 8.

pendentem, alium quoque habeat quasi mechanicum, initio respondentem, & circa interjectas sententias, quibus aliquamdiu suspenditur, in orbem velut circumactum. Opponitur periodica hæc s. *Vincta oratio Fusa* (m) s. *Disrupta*, quæ per breviores & fere logicas propositiones (*Incisa* vocant aut *Membra*, pro minori majorive syllabarum numero, quæ tamen inutilis est subtilitas), progreditur, quamque, propter laxiorem dicendorum nexum, *Discerptam* (*le style coupé*) recentiores appellant. Culpant hanc vulgo, tamquam mutili quid, asperi, langvidi & parum cohærentis sermoni invehentem, quin & obscuram, conservandæque & ad unum quasi exitum dirigendæ attentioni minus accommodatam; carere etiam dicunt & svavitate, non minus ea, quæ ex suspensio per interpositas sententiarum moras pleno sensu nascitur, quam ea, quæ numerum, periodice contextis sponte fere se adiungentem, comitatur, & gravitate ac pondere, ex densiore idearum coactione oriundis. Neque nos diffitemur, periodicos & per hanc ipsam causam numerosiores FLECHIERII, BOURDALOUI, MASSILLONII sermones magis placere auribus, quam aliorum membratim compositos; qui porro neque tantam tamque cohærentem uno quasi obtutu complectuntur rerum seriem, neque ea incedunt pompa & instructa quali acie, quæ densatis & in unum collineatis telis gravius

m) Observandum, propter technici apud Latinos sermonis inconstantiam, iudicamus, *Fusa* orationis nomen hoc loco impani dictioni non periodicæ, non eo quidem sensu quo utitur CICERO de Orat. L. II. c. 15. s. 64. c. 38. s. 159, sed eo fere qui ex ejusdem libri c. 33. s. 142, per idoneam accommodationem, efficitur. Solent etiam vulgo λέξις ARISTOTELIS (Rhet. L. III. c. 9.) ἐρισμένην, oppositam τῇ κατεστραμμένη (conversæ h. e. periodicæ), per *Fusam* interpretari. Cfr. CICERO Brut. c. 37. s. 140. & HEINECCI Fundam. stili cultioris P. I. c. 2. § 27.



vius ferit aut in arcibus saltem spatium plura compingit. Accedit, quod memoriæ facilius imprimantur & inhæreant periodice scripta, quam disiolute, cum quia, ut dudum monuit ARISTOTELES *n)*, numero hæc adjuvatur, tum quia pauciora, etiam si longiora, sed ex se connexa & in se finita proptereaque ordinis minus arbitrarii, facilius mente retinentur, quam plura, breviora quidem, sed disiecta magis fragmenta, quorum quid primum quid secundum esse debeat, minus expedite judicatur. Neque illud est reticendum, contentionem illam vocis, quam spatiosiora in primis templa desiderant, eamque pronuntiandi celeritatem, cujus necessitatem aliquando injungunt aut vividior orationis impetus aut temporis ratio, in stilo non periodico, utpote breviori, faciliores quidem esse, sed illam, quia inflexionum varietate minus temperetur, & displicere auribus & cito exauriri atque concidere, hanc, affectus vehementiæ quantumvis congruentem, vincendis tamen quam docendis animis magis videri accommodatam. His igitur aliisque de causis Periodicæ rationi, in Sacris conditionibus, plurimum tribuerunt multi, in primis antiquiores; alii non nisi abusum, sollicitudinem nimiam & quasi palæstricam, atque longiora sententiarum sçymata damnarunt *o)*: cum contra alii, quos inter primo loco nominandus est Cel. ÖDMANN *p)*, orationi membratim fusæ & in sententias minus arti-

arti-

*n)* Τέχνη Ρητορικῆ, L. III. c. 9. § 2

*o)* BASTHOLM, Anvisning att predika, p. m. 281. 303 sqq. MÖLLER, Afhandling om ett rätt predikosätt, p. m. 109. 211. cfr. p. 191. 195. 200. 206. TRUBLET Reflexions sur l'Eloquence en général, & sur celle de la chaire en particulier p. 54.

*p)* Libr. cit. p. m. 106 sq. 108 sq.

artificiosas disolutæ haud temere decernant palmam. Neque ab horum partibus stetit non videtur desideratissimus Svecanæ Ecclesiæ Doctor, Rev. LEHNBERG, cujus si conciones facras cum splendidissimis ejusdem in BIRGERUM & GYLLENHJELMIUM laudationibus contuleris, quid hoc quoque respectu sacram inter & profanam eloquentiam interesse Is voluerit discriminis, facile judicabis. Ad perspicuitatem quod attinet, quam periodica dicendi ratione egregie juvari multi censent, infitari quidem minime volumus, eam esse ordinis, quo neci propositiones istas singulas convenit, virtutem, ut naturali quadam consecratione res tota intuenda præbeatur; at quemadmodum non omnes eo pollent iudicii acumine, ut hæc omnia in scribendo distinctissime digerere sciant, ita nec subtiliores quosvis & sola sermonis inflexione designatos nexus satis acriter & promte perspicere valet imperitum vulgus, aut ad unum quandam exitum & scopum referre singula. Id certe nemo negabit, interjectas istas propositiones reapse nihil esse aliud quam veri nominis Parentheses, quarum quidem usus, ni perspicuitati officient magis, quam proderunt, prudentissime est moderandus. Cave tamen existimes eo hæc spectare, ut exclusis periodis minutatim proponi oporteat omnia: varianda est, ut in omni inscriptionis genere, oratio, & longiora enuntiata brevioribus apte miscenda; at quemadmodum in aliis dicendi generibus frequentius, in aliis parcius adhibentur periodi, ita in concionibus ad populum, plerumque indoctum & rudem nec nisi per logicas fere propositiones cogitantem, habendis periodorum usus non potest non esse parcissimus. Quod si a CICERONE in suis pro lege Manilia, pro Rabirio perduellionis reo, Secunda Tertiarque Catiliniis, ceterisque ad Quirites habitis non ubique servatum aliquis dixerit, videat primum ne veras periodos cum periodicis circumductionibus (q) confundat; deinde memi-

---

q) HEINECCIUS l. c. Vossius Instit. Oratt. L. IV. c. 30. l. 6. (9)

memerit, propositum fuisse CICERONI non tam ut doceret, nedum ut stabilem atque duraturam mentibus audientium imprimeret persuasionem, quam ut presentem in temporis puncto extorqueret victoriam, sed ubicumque in docendo aut dedocendo is versetur, ibidem rarius necti periodos (r); tandemque ex memorabilibus infra adducendis ejusdem auctoris locis (s), quid de re universa hic senserit, concludat. Ingenue quoque fatetur idem Romanæ Eloquentiæ lumen, esse auditores, qui vereantur, ne compositæ orationis insidiis ipsorum fides attentetur, detrahique continuo ejusdem ulu actionis dolorem, & tolli funditus veritatem ac fidem (t), quare nec semper utendum perpetuitate voluit. & quasi conversione verborum, sed sæpe carpendam membris minutioribus orationem, at hæc tamen ipsa membra numeris vincienda (u), quod quam egregio, vel extra periodorum anfractus, successu effici queat, & res ipsa docet & valde numerosa Lehnbergianarum, quas paul-

E lo

r) Cfr. Agraria contra Rullum Secunda, qua rem difficillimam, ut alimenta sua abdicarent tribus (PLIN. Hist. Nat. L. VII. c. 30), gloriolissimo sibi triumpho, iisdem tribubus persuasit, cujusque orationis longissima periodus (aut verius periodica circumductio, c. 36.) nequiquam est ad populum, sed ad Rullum, vehementissima hæc apostrophe configendum & obruendum directa.

s) In his omnibus (L. Crassi orationibus) inest quidam sine ullo fuce veritatis color: quin etiam comprehensio & ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placet) erat apud illum contractus & brevis, & in membra quædam, quæ *κῶλα* Græci vocant, disperstibat orationem lubentius. Brut. c. 44 f. 162. Non modo non frequenter, verum etiam raro, in veris causis aut forensibus, circumscripte, numeroque dicendum est. Orat. c. 66. f. 221.

t) Orat. c. 61 extr. c. 62 init. cfr. e. 12 f. 38.

u) De Orat. L. III. c. 49 f. 190. Cfr. QUINTILIANUS L. IX. c. 4. f. 143. sq.

lo ante laudavimus, concionum compositio. Maneat igitur, a veris periodis plerumque, & a difficilioribus, implicatis, contortis ac sesquipedalibus semper, esse in sacris orationibus abstinendum: quod tamen non impedit, quo minus majoribus nonnunquam intervallis sententiæ finiuntur. Huic scopo conducit in primis id propositionum incidentium genus, quod parallelarum nomine supra designavimus: quæ quia & incitatione quadam naturali singulæ feruntur, nec tam diversi respectus remisscent, quam eodem tendentes & homogeneas, sine ulla fere grammaticæ rectionis inflexione componunt, totum quoddam efficiunt structuræ minus impeditæ, attentionem audientium minus onerans, facilius intelligendum (v), simulque & ab ambitiosa ista periodorum compositarum pompa immune, & affectibus ciendis accommodatius. Erit hoc etiam, ni valde fallimur, pulmonum laterumque viribus & ad ultima usque verba sufficituræ vocis facultati magis attemperatum, quam vera, nec longior tamen, periodus: quia in illo, per crebriorem pausarum interjectionem, reficitur spiritus & ad reliqua superanda præparatur. Quas autem, propter rationes jam allatas, periodis prætulimus periodicas circumductiones & aggregatos quasi sententiarum conspirantium parallelismos,

---

v) En stikkelig Tale kan och ofta göra sin period ansenligt lång, utan att klarheten lider. Men då sker han icke der inblandade sårstilda ånner. Ett och samma hufvudbegrepp måste då vara rådande. T. e. Denna Guds godhet, som så tidigt möter oss, så oupphörligt följer oss, så mildt ledsagar oss; som å Guds sida så osförtjent bewisas, och af menniskor så otacksamt förgåtes, m. m. Perioden är lång, men bibehåller sin klarhet, emedan den hwilar på första ordet: Guds kärlek (godhet). ODMANN l. c. p. 109 sq. Vera in exemplo allato adest periodus, quæ tamen sublato pronomine relativo, facile dissolvitur & in periodicam circumductionem, aliquanto etiam simpliciore, nec ideo tamen minus efficacem, mutatur.

diffinos, iis, mi ceteris enuntiationum formis externis, semper & ubique utendum minime esse, vel ex jam dictis patet: cui monito addi fas erit, caveri in hoc genere oportere, ne sententias mere otiosas & tautologicas conferendo inanis copiae & ubertatis gloriola quaesita videatur (x).

Cavenda porro, in compositionis negotio, 2:o est *Monotonia*, cujus nomine hoc loco intelligimus non vocis, sed univ-

E 2

verlæ

x) Adscribimus jam dictis, quamvis non totam huc pertinentem, egregiam Cel. ÖDMANN observationem: På tre sätt blifwer predikostifsen midel. Först derigenom, att Talaren använder främmande och okända ord (Disf. Cl. MÖLANDER pp. m. 6 sq. 11. 14. 16 sq.). Det är Smakens oförstånd. Sedan derigenom, att han utan ordning hopfäklar sina tankar (Disf. Cl. UTTER Prior, p. 5 sq.). Det är Oredans oförstånd. Därför derigenom, att han ordföttigt afvänder sina tankar i meningar och perioder. Det är Omdömers oförstånd. Libr. cit. p. 101. Neque minus expedit, sequentium probe fuisse memorem: I hela tankewerldens omåttliga rymd gifwes icke en enda mening, som icke låter sig fortsätta, antingen med ett framskridande: och, eller med ett bewisande: ty, eller med ett jämförande: såsom, ett fördelande: antingen, ett inifrån-fande: likväl, ett förklarande: eller, o. s. w. Talaren behöfver dessa partiklar, men han bör icke missbruka dem. Ofta må han hellre dela sin mening i tu, än hopfästa två särskilda meningar med ett olämpligt: och; hellre bewisa med en kort sanning, än uppdraga sin affigt med ett onödigt: ty; hellre uppgifwa sin bild, än mätta den med ett öfverflödigt: såsom; hellre framställa sin hela synpunkt, n uttänja den med ett släpande: antingen; hellre gifwa sin sats bestånd, än förswaga den med ett oöfventadt: liksom; och i synnerhet bör han taga sig till vara för behofwet af detta uttydande: eller, som alltid förutsätter ett misstag i uttrycket. Ibid. p. 119. Sunt hæc, ut loqui amant Germani probatos sibi libros aut librorum loca lectoribus commendantes, ex nostro quasi animo scripta.

versæ verborum continuationis, eundem fere & consonantem usque tenorem. Est sane similitudo nimia & justæ varietatis defectus non satietatis solum sed & somni mater, nec ea caret criminatione, quæ dicentem aut hebetis aurium sensus, aut in angustum nimis orbem conclusæ artis, aut (quod pessimum est) quæsitæ concinnitatis, & jure quidem, insimulet. Vitabit igitur Orator, etiam Sacer, non minus eam, de qua jam diximus, aut periodicæ dictionis aut membratim structæ orationis perpétuitatem, quam continuum monosyllaborum (y), disyllaborum (z), trisyllaborum ejusdem pedis &c. per plura verba concursum, ejusdem syllabæ aut litteræ, & sibilantium in primis litterarum assiduitatem, ac demum clausulas ubique easdem aut plane similes. Etiam pulchra justo crebrius repetita displicere, documento erit elegans illa & bene sonans Ciceroniana clausula: *esse videatur*, quæ QUINTILIANI ævo nimis frequentata (aa), cacozelorum vitio amittit gratiam.

Cavendum 3:0 est a *Cacophonia* s. ingrato & vitioso sono, cujus plures species, & in his nonnullas modo commemoratas

y) BASTHOLM p. 302.

z) Ne nostris quidem, quæ tamen minus acute audiunt hodie (ERNESTII Init. Rhet. § 364), auribus placere fateamur ista apud CICERONEM: *nulla causa justa cuiquam esse possit contra* &c. Orat. Philipp. II. c. 22, l. 53. Efficiunt sane hæc verba versum plane trochaicum.

aa) De Inflit. Orat. L. X. c. 2, l. 18. Cfr. NOLTENI Lexic. Antibarb. Tom. Pr. p. 1479 sq.

ratas, enumerat BASTHOLM (*bb*). Huc retulit etiam, ad Veterum (*cc*) forte præcepta, *hiatum* s. vocalium in fine antecedentis & initio sequentis vocabuli concursum, & clausulas sententiarum *monosyllabicas*; neque nos quidem diffitemur molestum fore in Svecana quoque oratione dicti concursus sonum, si eadem vocales inter se committantur. Aliter vero judicandum putamus ubi diversæ hæ fuerint; non solum quia in quotidiani sermonis consuetudine consonantes illas vocum ultimas haud raro elidimus, verum etiam propter multitudinem vocabulorum (infinitivorum quidem omnium, nec parvæ copię imperativorum & nominum substantivorum) in vocales delinquentium, & compositiones quasdam vocum perfamiliares (e. g. *oastsam, vordning, öfvervinnerlig, bearbetande, beifca &c.*), atque natum ex his rebus alium sere nostrarum aurum sensum; quod idem de Fennica quoque lingua, & magis etiam, valet. — Monosyllabicas porro clausulas, sed consonante una aut pluribus terminatas & accentu notatas, tuendas suscipit Cel. J. M. FANT (*dd*), cujus quidem Viri longævæ experientiæ, insignium præterea Duumvirorum, LEHNBERGII & ÖDMANNI, more firmatæ, nostram refragari non decet juventutem. Observandum tamen est, a laudatis artis s. magistris s. exemplaribus, vix nisi in brevioribus, nec periodicis, sententiis adhiberi istiusmodi clausulas; cavendumque, ne, quod a multis turpiter fit, extrema ista syllaba tota devoretur. — Ceteras inter cacophonias peculiarem fœditatem habent: *genitivi ex aliis*

---

*bb*) Libr. cit. p. 299 sqq.

*cc*) CICERONIS, Orat. c. 44. f. 150. & QUINTILIANI, L. IX, c. 4. f. 33 sqq. L. VIII. c. 3. f. 20.

*dd*) In nota ad BASTHOLMIUM p. 303.

*aliis genitiuis pendentes (ee)*, & in Svecana præsertim lingua vel ideo minus excusandi, quod in compositionibus non minore fere hujus est, quam Germanicæ & Græcæ, libertas; — *versus orationi intermixtus*, cujus aut speciem aut culpam effugere nequeunt in Svecorum lingua homœoteleuta (*ff*), in Fennica alliterationes crebræ, & in utraque metrica verborum collocatio; — ac denique, si quæ forte in nostris quoque vernaculis erunt, *κακῆματα*.

Quemadmodum vero sunt in iis, quæ jam diximus, multa talia, in quibus, quid melius, quid pejus sit, sentiatu facilius quam explicetur: ita & *Numerus*, qui subactis & exercitato aurium judicio promptius parerit, quam odiosæ syllabarum & dnumerandarum sollicitudini, certis adstringi legibus reculat. Cavendum vero Sacro, & magis etiam quam Profano, Oratori 4:0 est ab *exquisiti nimis numeri studio*: a quo vitio immunis vix judicabitur celebris inter Gallos Concionator FLECHIER (*gg*). Meminerit Orator Sacer,

---

*ee*) Två genitivi böra äre gerna hopbindas, såsom: Werldens kärlek & nåda. Det heter: Wädan af kärlek till werlden. Men om den föregående genitivus är indefinitus, må det stundom sätas, t. e. Guds ords kraft. ÖDMANN p. 126. Cfr. BASTHOLM p. 301.

*ff*) Cfr. Diss. Cl. JONÆ HOLMLIN de Homœoteleutis solutæ orationis, eodem, quo & nos prodimus, Præfide editam Ab. 1807. p. 12.

*gg*) *Aucun écrivain François n'a plus recherché le nombre & l'harmonie que M. Flechier. Il y en avoit, dit le P. de la Rue, jusques dans ses lettres & ses moindres billets.* TRUBLET 1. c. p. 62.



svavitatem orationis suæ non dulcem atque decoctam, sed austera & solidam esse debere (hh); vel dura inter se commissa potiora esse inutilibus (ii); seruari quidem, quantum fieri possit, oportere facilitatem & æquabilitatem, sed ita ut fatietas & ex hac contentus cum putidæ diligentæ suspitione evitentur; numerosque istos, utpote quos in tenui & Attico sermonis genere omnino relinquendos censuit ipse CICERO (kk), Sacræ Orationis simplicitati multo etiam minus convenire. — In re universa multum proderit, egregiorum & moderata compositionis virtute commendabilium auctorum scripta non legisse tantum, sed voce quantum satis alta recitasse: cum nihil hac re sit ad acuendum & perficiendum aurium sensum efficacius.

hh) CICERO de Orat. L. III. c. 26. f. 103.

ii) QUINTILIANUS L. IX. c. 4. f. 58.

kk) Orat. c. 23. f. 77.

